



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XXI. V. possit Co[n]fessio peccatorum legitima & valida semel facta, nulla necessitate compellente; sed sua sponte à poenite[n]te licitè, & cum fructu reiterari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**



**S**i peccata tua iterum confitearis, sed alij *Respōsio.*  
Sacerdoti, tunc nō dubium, quin in par-  
ticulari sit reiteranda.

Si autem fiat priori Confessario: distin-  
guunt Doctores; quia vel peccata prius con-  
fessa exciderunt à memoria illius Confessa-  
rij, vel non: Si non, satis est Confessionem in  
genere reiterare; secus autem, si à memoria  
Confessarij exciderunt.

*Potēstne Confessio peccatorum legiti- Questio*  
*ma & valida semel facta, nulla neces- XXI.*  
*sitate compellente; sed sua sponte, à*  
*pœnitente licitè, & cum fructu*  
*reiterari?*

**D**istingendum est de Confessione, & de *Respōsio.*  
Abolutione; cū vtriusque non par sit  
ratio. Nam de Confessione nulla est quæ-  
stio; quin possit eadem frequenter eidem, &  
diuersis Sacerdotibus fieri: Nec dubium est,  
huiusmodi iteratam Cōfessionem eorundē  
peccatorū fructuosam esse ex opere operan-  
tis, ratione humilitatis ipsius peccatoris; &  
ratione reiteratæ contritionis: ex qua denuò  
Confessio procedit; & ratione verecundiæ,  
quam in ipsa peccatorum Cōfessione habet.  
Et demū ratione consilij & correctionis,  
qua ei Confessarius potest subuenire.

Clarissimum huius doctrinæ testimoniū  
peti potest, tum à cōmuni Doctorum, et san-  
ctitate



### Caput IIII. De Confessione

etate eminentium virorum sententia, qui poenitentem cum spe veniæ suæ peccata sæpius confitentem optimè suæ salutis consulere decernunt: tum etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ non modò eorum, qui religioni alicui, ab Ecclesia approbatæ initiantur; verum etiam & eorum, qui in sæculo permanent, vehementer approbat, atq; ad eam sedulo adhortatur.

De Absolutione autè iterata super iisdem peccatis, etiam cum distinctione respondendum est: Quia duobus modis potest iterari Absolutio eorundem peccatorum. Vno modo, reiterata Confessione; Alio modo, ea non reiterata. Et quidem, si Confessio non reiteretur; sed ea semel tantum facta, reiteretur Absolutio bis, aut ter, aut pluries; tunc probabile est, talem Absolutionem nihil gratiæ adiungere superiori, haud secus, quam si quis in eadem Missa plures hostias accipiat, nihilo plus gratiæ, quam si vnam duntaxat acciperet, obtinebit.

Si tamen Confessio iteretur, simul & Absolutio; tunc talis Absolutio toties proderit, quoties Confessio iteretur, modò non ponat obicem ipse confessus. Sicut quoties dignè celebrat, toties illi proderit ex opere operato, Eucharistiam suscipere.

Dixi ( nisi confitens obicem ponat ) quia qui Confessionem reiterant, cum animo iteratam Absolutionem ab eisdem peccatis recipiendi, possunt huius consilij & propositi, dupli-



duplicem habere causam. Vel enim ex opinionis errore poenitens sibi persuadet, propter peccatorum multitudinē gravitatemq; superiorem Absolutionem non satis efficacē fuisse. Hoc enim de Sacramentis sentire impium & infidelitati, aut hæresi proximum foret, & Absolutio nullius esset impedimēti.

Aut Confessionem iterant ex humilitate, & deuotione, quā ad huiusmodi Sacramentum habent, omni tali diffidentia, cæterisque impedimentis seclusis; tunc licitè, & fructuosè talis Confessio cum Absolutione, vt supra dictum est, iteratur.

*Dic compendio: quando Confessio est irrita, & iteranda; quando rata, & non iteranda?*

*Quæstio  
XXII.*

*Omnis Confessio ratione poenitentis irrita est, & iteranda.*

*Responsio.*

*Quæ fit absque intentione suscipiendi Sacramentum.*

*Quæ ex intentione mutilatur extra casus à iure permiffos.*

*Quæ caret omni dolore, ac detestatione peccati.*

*Quæ fit cum insufficienti dolore, cuius imperfectio à poenitēte facilè cognosci potest.*

*Quæ fit sine iusta conscientia discussionē.*

*Ratione Cōfessionarij irritatur omnis Cōfessio, & iteranda est:*